



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,  
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,  
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ  
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. VI. De Procuratoribus judicialibus, vel Curatoribus, seu Actoribus ad  
lites, aliisque defensoribus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](#)

## DE IUDICIIS

causis criminalibus, sive idem munus exercere apud Judicem laicum; Adhuc tamen locorum moribus, vel stylis nimium deferendum est. cod. disc. 47. de pension.

- Super facultate autem conficiendi acta, praesertim super illa recipiendi testium dicta, aliaq; peragendi, quæ regulariter, ac in puncto juris interventum, vel autoritatē judicis exigunt, an sc. solus Notarius explicet, & an sibi de commissionibus, vel facultatibus à judice attributis, deferendum sit; Aut circa fidem ei praestandum super actorum, aliorumque juriū extractione, certa desuper generalis regula statui non potest, cum singulorum Tribunalium, seu locorum legibus, vel stylis deferendum sit, atque, in iis, quæ Romane Curiae praxim concernunt, singulorum Tribunalium recentissima praxis, vel qualitas, aut singulorum actorum judicialium peitractionis, id incidenter insinuabit, cum has generalitates pro nunc insinuasse satis videatur. in relatione Curiae agendo de Notariis, vel de singulis Tribunalibus respectu.

De minus idoneis cautionibus, vel fidejussionibus, quas recipiunt, de proprio in subsidium tamen tenentur partibus quanti interest. Rovit. decis. 45. & 83. de Marin. refol. 3. lib. 1.

Ac etiam regulariter tenentur de facto eorum juvenum, & substitutorum, seu adjunctorum in iis munieribus, quibus per eos sunt praepositi. Ottob. decis. 142. num. 9. cum seqq.

Super juribus, & scripturis, quæ in ejus actis producta sint, & non repertantur, quæstiones cedere solent, ad quid scilicet Notarius teneatur, idque revera pro locorum, vel Tribunalium, diversis stylis determinationem recipit; In Curia vero tenentur parti interestaræ ad quanti interest, ne alias colludendo cum altera parte, in eorum libito repositum sit, aliquem supplantare, ejusque scripturas, ac instrumenta occultare, seu lacerare. Buratt. decis. 80. Ridolphin. par. 2. cap. 3. n. 69. decis. 207. par. 10. Qualis autem Notarii interventus requiratur in publicatione sententiæ habetur infra in ea Rubrica, in qua de sententia tractatur.

De Procuratoribus judicialibus, vel Curatoribus, seu Actoribus ad lites aliisque defensoribus.

S V M M A R I V M

1. Illi qui habent liberam administrationem, possunt litigare per se ipsos sine defensoribus.
2. De tribus nullitatibus substantialibus, quarum una est ista mandata.
3. Mandatum probatur etiam per presumptiones, & adminicula.
4. Quæ sint ista presumptiones, & praesertim illa expensæ notabilis.
5. De eodem, & de aliquibus conjecturis.
6. An exhibitorum scripturarum sit sufficiens argumentum
7. Sufficit citare illum, qui obtinuit expeditionem.
8. De mandato speciali necessario in positionibus, & in præstatione juramenti, & aliis.
9. An & quando factum procuratoris prejudicet principali.
10. De tacita, vel implicita revocatione procuratoris.
11. An & quando procurator revocari non posset.
12. De procuratore effecto domino litii, ut mandatum non expiret per mortem.

13. Revocari potest procurator, etiam si fuerit deputatus tanquam irrevocabili.
14. De personis, que non possunt esse in judicio sine curatore, vel defensore.
15. Non sufficit deputatio curatoris, vel defensoris nisi sequatur defensio.
16. De alii personis, in quibus intres idem de quo n. 14.
17. De deputatione curatorum minorum, vel patrimoniorum &c.
18. De partibus, quas habere debent procuratores, & causidici remissive.
19. An scientia procuratoris noceat principali, atque in eo etiam certioratio presumatur.
20. An procurator teneatur de proprio ad mercedem Notarii pro actis.
21. De obligatione procuratoris appellandi, vel prosequendi appellationem.
22. De facultatibus Procuratorum generalium Religionum.
23. De mercede procuratorum, & causidicorum, & de prioritate dicta mercedis.
24. De pacto quota litii.

D I S C . VI.

R egulariter ista persona procuratoris, vel defensoris, ad judicij integratatem necessaria non est, ut est illa Notarii, vel Assessoris trespœcivè, quoties de illis litigantibus agatur, qui liberam habentes suorum bonorum administrationem, per seipso contrahere, aliaque negotia gerere valent, quoniam parviflitter per seipso in judicio esse possunt, eorumque jura tueri, absque necessitate deputandi procuratorem, vel alium causidicūm defensorem, sine quo recte judicium perfici potest; Pro frequentiori tamen usu, ut periti defensores habeantur, rarae sunt causæ, in quibus Actoris, & Rei, procuratores, aliquique defensores non interveniant, super quorum sufficienti facultate, facti potius, quam juris quæstiones esse solent; An scilicet constet, necne de sufficienti mandato ejus, cuius commissio, vel omissione principali colligitanti præjudicium causet, adeo ut in Romana Curia, in qua nimium commendabiliter rescatæ sunt omnes illæ nullitates, quæ ex legum superstitionis subtilitate, super judiciali ordine manant, cum restrictione ad tres tantum substantiales, ista species nullitatis ex defectu mandati interdictas tres recenseantur; Una enim est jurisdictiōnis; Altera citationis; Et altera mandati ut infra in nullitatem discursu, vel Rubrica advertitur. infra in eo discursu in quo agitur de nullitatibus.

Quando itaque de expresso mandato constat, tunc eius tenor quæstionem dirimit, an scilicet contineat, necne illas facultates, de quibus sit quæstio; Ideoque frequentius cadere solent disputationes, quando explicitum non accedit mandatum, sed allegetur presumptum; Siquidem non dubitatur, ut illud etiam tacite, seu implicite dari possit, quodque presumpta, vel administrativa probatio admittatur. Gregor. decis. 44. 111. & 330. decis. 205. apud Postb. de subhaftat. & sepius. Verum, & id pariter facti potius, quam juris est, ex singulorum casuum particularibus circumstantiis decidendum; Et ex quibus, in uno casu leviores presumptiones sufficere solent, in altero autem, eadem, ac majores insufficientes reputantur, pro causarum qualitate, vel præjudiciorum gravitate, fortius vero pro Tribunalium, seu locorum stylis ac moribus.

Potis-

Potissimum vero (juxta Curiae praxim) desumitur ab expensis, quae necessaria sunt pro illis actibus, ex quibus mandati presumptio nimium defumus solet, ut scilicet quando ea sit notabilis, hanc presumptionem inducat, cum praesumen dum non sit, ut quis propria bona pro tertio absque mandato jactare voluerit; Atque regulariter notabilis illa dicitur impensa, quae unius locuti summam excedat. *Cavaler. decis. 590. Buratt. & add. decis. 203. & 593. Gregor. & add. decis. 324. Rovgas decis. 392. & frequenter.*

Verum id pariter certam non habet regulam, cum verius a singulorum casuum qualitate, & circumstantiis pendeat, dum alterius collitigantis collusio, vel affectatio, notabilem quoque impensam suppeditare potest; Nimique confert consuetudo particularis, an scilicet ille caudicis, alia ejusdem partis negotia tractare solitus esset, necne; sive quod si inquinis coniunctio, aut alia verisimilitudine accedant argumenta. de his decis. 205. apud Posth. de subh. apud Othob. dec. 116. Dunozett. decis. 786.

Scripturarum item, seu iurium qualitas, magnum est argumentum, vel praesumpta probatio mandati, quando scilicet scripturæ sint tales, ut verisimiliter alium le haberi non potuerint, quam ab ipso principali; Ado ut quandoque id sufficiens reputari contueverit, etiam ad effe- & cum illius mandati specialis, quod necessarium est pro illa prajudiciali productione, quae causet restrictionem possessionis ad certum titulum, qui sit exclusivus illius melioris, qui in iam im- memorabilis, vel centenaria possessionis alias allegari valeat. de ista presumptione ex productione scripturarum decis. 300. par. 8. rec. & agitur sub tit. de Regal. disc. 47.

Procedunt haec in Reo, vel etiam in Auctore, in illis actibus, in quibus, spectato effectu, Rei personam quadammodo gerere videatur; Secus autem Juxta Curiae praxim. Cir eo qui monito- rium, vel commissionem super aliqua præten- sione adversus alium obtineat, ejusque vigore il- lum provocet, quoniam tunc provocato sufficit citare illum caudicis, qui expeditionem ob- tinuit, absque alia probatione mandati, quod ita inesse dicitur, quoties id ex collusione aliqua non sequatur, pro facti qualitate, talis est inconcussa Curiae praxis.

Super ejusdem procuratoris potestate fre- quenter disputari contingit, tam ex oppositione alterius collitigantis, ut scilicet gerere non pos- sit aliquis actus, qui speciale mandatum requi- rant, puta jurare in productione positionum, vel in responsione ad illas, aut alteram juramen- ti speciem præstare, sive facere declarationem eorum, quæ latent in animo principalis, vel ab eo pendent, & praesertim circa beneficium re-stitutionis in integrum, quod mandatum spe- ciale regulariter exigit, an illud defumatur ex quibusdam clausulis aponi solitus, cum simili- bus, in quibus certa regula generalis ubique ap- plicabilis non de facili statui potest, cum Tribu- nali praxi nimium in hoc deferendum ve- niat. Merlin. lib. 1. controv. 73. Buratt. & add. decis. 190. & 388.

Sive quod ex parte ejusdem mandantis con- tendatur, an procurator sibi prajudicare poter- rit, praesertim cum ejus negligentia, vel alio facto culposo, super quo regulariter procedi solet cum distinctione, inter actus qui consistunt in

committendo, & alios, qui consistunt in omit- tendo, ut primo casu sine mandato speciali no- tabile prajudicium facere non possit, secus au- tem in altero, ut praesertim frequens, & quotidiana praxis docet in omissione appellationis intra legitima tempora, pro transitu sententia in rem judicatam, sive in negligentia committendi causam intra illum terminum, intra quem de fly- lo committenda est; Aut prosequendi appella- tionem intra fatalia, ut propterea appellationis desertiore refluet, cum similibus negligentis pra- judicialibus, quae in omitendo consistunt; In his etenim, negligentia procuratoris regulariter prajudicat, non autem ubi agatur de actibus po- sitivis prajudicialibus, qui ut supra in commit- tendo consistant. *Cavaler. decis. 223. & 501. add. ad Curatt. dec. 585.*

De tacita, vel implicita revocatione procu- ratoris, quandoque dubitari contingit, vel per alterius constitutionem in eisdem actis, atque in eadem causa, vel per comparitionem ipsius met principalis; Verum & id pariter certam non habet regulam, sed ex actorum qualitate pendet, an scilicet talem incompatibilitatem impor- tent, ut implicitam redoleant revocationem mandati. *Gregor. decis. 548 add. ad Buratt. decis. 723. decis. 294. p. 1. rec. Rovit. super pragm. in rubr. de procurator.*

Super hujus revocationis potestate, quan- doque cadit quæstio, ut scilicet quando ille jam dominus causa effectus est, non possit amplius revocari; Non quidem respectu ipsius procura- toris deputati, ut scilicet, ejus remoto, colliti- ganti non prajudicet, quia non interfit cum uno, vel cum altero judicium prosequi, sed pro interesse, vel prajudicio collitigantis, ne scilicet revocetur procurator absque alterius deputa- tione, unde propterea cogatur principalem de- nuo citare, quoniam revocatione non obstante, cum eodem, causam prosequi poterit, secus au- tem si alium deputet, cum tunc nulla cadat prohibitio. *Buratt. & add. dec. 440. & 723. Bich. dec. 305.*

Eodem modo, quo per mortem mandantis in hoc procuratore judiciali, non resultat mandati revocatio, sed etiam contra mortuum, ejusque hereditatem cum procuratore litis domino effecto, judicium prosequi ac terminari potest; *Mantic. dec. 204. add. ad Vestr. lib. 4. c. 4. alii duobus proximè supra.* Nisi haeres, eo revocato alterum deputaverit, quoniam defectus potestatis consi- stit in revocatione procuratoris in generi, adeo ut nemo superstis, cum quo judicii prosecutio fieri valeat, secus autem super mutatione per- sonæ.

Adeo enim certa est de jure facultas revo- candi procuratorem ad lites, ut quamvis man- datum datum sit perpetuum, & irrevocabiles; *Adhuc tamen revocari valeat; Remanente acti- one mandatario ad cursus mandantem ad id, quod inter est pro salario, vel pro alio jure, juxta ea, quæ infra in salarii procuratoris, vel alterius caudicis materia habentur;* Cum etenim istud dicatur summa fiducia munus, idcirco, quoties cesset fiducia alias habita, tunc potestas revo- candi nullatenus restringenda est, quacumque conventione non obstante. *Add. ad Vestr. lib. 5. cap. 13. Rovit. super pragm. in Rubric. de procur. & habetur. l. 7. tit. de tutor. & procurat. disc. 20. ubi allegantur dec. 553. & 554. p. 4. recent.*

Quam-

Quamvis autem (ut præmissum est) ista persona, ad judicium integratatem necessaria non sit, cum sine procuratore, Actor, vel Reus respectivè, judicium per se ipsos agere valeat, neque ad constitendum procuratorem cogi possit; Adhuc tamen plures dantur casus, in quibus ista persona, sub diversis tamen vocabulis explicari solita, necessaria est ad judicij integratatem, ac perfectionem; Quia nempe ipsa principalis persona, Actoris, vel Rei propriæ partes per se ipsam explicare non possit; Ut exempli gratia sunt pupilli, minores, amantes, fatui, & similes, qui sub necessaria, seu legali administratione vivunt, & cum quibus tutorem, vel curatorem legitimum non habentibus, iudicium peragi non valet, ideoque ad iudicij perfectionem, ac validitatem, curator, vel actor, ad item illam peragendam deputandus est. *Aff. decif. 256. Buratt. & add. dec. 440. & § 24. Gregor. & add. dec. 43. dec. 46. p. 10. rec. & sep. 5.*

Quinimo, neque sufficit sola deputatio, sed requiritur etiam effectiva suscepitio defensionis, cum alias tententia aliqua acta contra pupillum, vel minorem, aut similem personam indefensam, nullius momenti reputanda sint, dum paria sunt, nullum adesse curatorem, vel defensorum, & adesse, sed suas partes non explere. *Ibidem, de quibus proxime.*

Idemque in omnibus aliis sub eadem legali, ac necessaria administratione viventibus, quibus eadem congruat ratio; Ut sunt Ecclesiæ, & Monasteria, vel pia loca, necnon communitates, & corpora ficta, seu intellectualia; Sive hereditates jacentes; ac etiam patrimonia decocta sub concurso posita; vel patrimonia illorum absentium, quorum status sit incertus, sive existant apud hostes, aut alias ita impediti, ut per se ipsos judicium peragere, suaque jura tueri non valeant. *Apud eosdem & paßim.*

Super modo, autem, vel praxi deputandi hujusmodi curatores, vel defensores, certa regula generalis cumque casu, vel loco applicabilis, non de facili statui potest; Et praetextum circa cautionem, vel circa juramentum, aliasque solemnitates, in tutoribus, & curatoribus aliisque administratoribus desideratas, cum locorum, ac tribunalum particularibus legibus, vel stylis frequentius inter se variis deferendum veniat. *Percutiunt hæc validitatem, seu integratatem judicij; Ea vero, quæ concernunt huiusmodi iudicialium procuratorum, vel defensorum personam, vel munus, bene vel male explicatum pro iure principali; sive an, qui fuit procurator unus in una instantia, possit esse procurator alterius partis in alteras, cum aliis similibus, quæ Advocatis quoque communia sunt, in particulari discursu Advocatorum, & Procuratorum, occasione relationis Curie habentur. Infra in relatione Curie agendo de Advocatis, & Procuratoribus.*

De præjudicio autem, vel scientia verisimili principialis, resultante à scientia procuratoris, à quo præsumatur certioratus, & quandoque ad effectum attentatorum disputari frequenter solet; Verum id certam, ac generalem non recipit regulam, cuicunque casu applicabilem, cum totum ex casuum particularibus circumstantiis pendeat, & præsertim ex lapsu temporis congrui, adeo ut sequi potuerit certioratio, quæ verisimilis est, atque in dubio præsumitur. De hoc agitur apud Greg. & add. dec. 127. Buratt. & add. dec. 307. Cels. decif. 152.

An autem procurator teneatur de proprio ad mercedem Notarii, pro expeditionibus, & aliis absque promissione; Et an super ista creditur ipsius Notarii libro, disputari solet, atque regula videtur negativa, ex stylo Tribunalis, vel ex aliis circumstantiis limitari solita. *Buratt. decif. 174. Vestr. & add. l. 3. cap. 4. & lib. 7. cap. 1. Zacc. de salar. q. 78.*

De obligatione procuratoris appellandi, & appellationem proféquendi, agitur infra in applicationis Rubrica. *Infra in eo disce, in quo agitur de appellat.*

Et de facultatibus Procuratorum generalium Religionum, an & quando agant causas singulorum Monasteriorum, non de facili certa regula statui valet, cum varia sint religionum instituta. *De hoc agitur apud Coccin. decif. 169. Cavaler. decif. 206, dec. 201. p. 2. rec. Capucin. de electi. dub. 104.*

Qualis vero sit Curia stylus circa Procuratorum, aliorumque causidicorum salarium agitur, infra in relatione Curie, agendo de Advocatis, & Procuratoribus, ubi etiam de eiusdem mercede prælatione; Ac etiam de iis quæ concernunt materiam paeti quoque litis.

De litis, vel causæ introductione, contestatione, pendentia, & cessatione, vel desertione; Et de differentia inter item, & causam.

### S V M M A R I V M.

1. **D**elite ad effectum Regula de annali, vel de triennali, vel viti litigiosi in beneficitalibus.
2. De lite ad effectum præventionis,
3. De eadem ad effectum attentatorum.
4. De eadem ad effectum interrupendi prescriptionem.
5. Sive ad effectum rebus fructuum.
6. Vel pro viti litigiosi.
7. Necessaria est distinctio terminorum.
8. Respectu actoris quid sufficiat pro lite.
9. Et quid respectu Rei, an requiratur citatio exequuta.
10. Defectus citationis sanatur per comparitionem.
11. De reproductione an, & quando sit necessaria.
12. De eodem, & quando eius defectus non obstet.
13. Citatio Rei debet esse legitima, atque alias non sufficiat.
14. De contestatione litis, quando adsit.
15. Quando lis vel causa dicatur instructa.
16. De eodem ad diversos effectus.
17. De lite ad effectum viti litigiosi, de quo num. 6.
18. De extinctione litis quomodo sequatur, & præsertim de peremptione instantie.
19. De eiusdem instaurazione, seu de insufflatione spiritus.
20. De iure canonico non datur peremptio instantia; id que servatur in curia.
21. Sed etiam de iure canonico datur litis desertio.
22. De extinctione litis per mortem, unius ex litigantibus.
23. De extinctione per cessionem, & de differentia inter cessionem litis, & cessionem cause.
24. De effectu litis pro alimentis dandis colligantibus.
25. De Alexandrina super offensione colligantibus, vel defensorum.
26. De alio effectu litis pro subrogatione gratio danda colligantibus.
27. Quando lis dicatur calumniosa.
28. De extinctione litis per rem iudicatam.

DISC.